

nis non sibi juncta habet delicta actualia *παραρρητικά* (ut in renatis, quales sunt & manent) tum *saltem* motus habet *ἀνόμους*, licet *ἀπερραρέτους*. Siquidem Gen. 6. v. 5. dicitur Jehova vidisse, quod omne figmentum *γυῖ* jezer cogitationum ejus (hominis) *tantum malum (sit) omni die*. Et Gen. 8. v. 21. perhibetur non amplius diluvio mundum visitaturus, *quia figmentum cordis hominis sit malum ab infantia ejus*.

12. Ubi Deus sibi *contrarius* non est, quasi Gen. 6. v. 5. peccatum alleget, ut causam, mundo immittendi pœnam; Gen. c. 8. verò idem peccatum adducat, ut causam, ob quam mundo parcendum, & ejus miserendum sit: Nam *ibi* Deus loquitur, *ut iratus judex*: *hic* ut *reconciliatus* Pater, per odorem suavitatis, in respectu ad sacrificium Filii sui, in plenitudine temporis immolandi, quem Noah fide fuit amplectus, Hebr. 11. v. 7. *Ibi* loquitur de peccato originali, exasperato imprimis & aggravato per actualia præelectiva primi mundi horrenda flagitia, ut constat ex Gen. 6. v. 3. 4. 5. *Hic* vero disserit de peccato originali, conjuncto cum suis primis motibus, difformibus & complicato cum profundissima hominis miseria & infirmitate, qua motus Deus, ceu causa *παρακλητική* externâ miseretur hominis. *Ibi* Deus loquitur legaliter, & secundum censuram justitiæ rigorosæ: *hic* evangelicè, & juxta censuram justitiæ per *ἐπιείκειαν* Evangelicam, seu Dei clementiam temperatæ. *Ibi* Deus mundo minatur *singularem* aliquam pœnam, nempe *κατακλυσμὸν*, ut constat ex litera c. 6. v. 6. 7. *Hic* verò licet Deus ex merâ suâ gratiâ promittat, se universale diluvium non amplius hominibus immisurum; non tamen promittit, se nullatenus amplius homines ob peccata puniturum, quia inundationes *particulares* etiamnum sæpe fiunt: Et non omnes maledictiones Deus sustulit. Vide Genes. 3. v. 17. & 4. v. 12. & 5. v. 29. Ut taceam *πενωλεθρίαν* Sodomæ & Gomorræ Genes. 19. Sensus igitur verborum Jehovæ Gen. 8. v. 21. est hic: Non addam, ut maledicam amplius terræ, h. e. totum mundum per aquarum diluvium non amplius delebo; quia figmentum cordis hominis est malum ab infantia, h. e. quia homo post lapsum Adæ & Evæ, est misere corruptus, eamque pravitatem ex utero matris secum adfert, & cum annis eam reddit deteriore. Quod si igitur eandem omnino pœnam hominibus ob gravitatem eorum vellem semper immittere, tum quotidie *κατακλύσει* generali mundum deberem extinguere. Quo ipso impediretur tum generis humani in terris prosemminatio & habitatio, tum Ecclesiæ in hoc mundo collectio & propagatio.

13. Itaque peccatum Gen. 8. v. 21. allegatur non ut principium, *miseri-*
cordiam Dei promerens: iram enim meretur & vindictam: *sed misericordiae*
in'